

Nr
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25



Nr. Praefides

- | | | |
|-----|-------------|------------------------------|
| 1. | De Jena | De incendiiorum iure. |
| 2. | Mauselin | - limitibus. |
| 3. | Romanus | - nocte. |
| 4. | Rhetius | - Medicis. |
| 5. | Rheyer | - intervallo eiusq; juribus. |
| 6. | Stryck | - iure Cratum. |
| 7. | Böttcher | - iure Sigillorum. |
| 8. | Werner | - iure confusionis |
| 9. | Schultz | - iure commendationis |
| 10. | Rhetius | - metu eiusq; operationibus |
| 11. | Rhetius | - iure et iudicio fortuna. |
| 12. | Rhetius | - iure tertii. |
| 13. | Schroeter | - equis publicis. |
| 14. | Wollenberg | - iure credulitatis. |
| 15. | Ziegler | - iura viarum publicarum. |
| 16. | Ziegler | - iure Clavium. |
| 17. | Bodinus | - iure circa ebrietatem. |
| 18. | Göder | - iure metallico. |
| 19. | Rode | - iure Riparum. |
| 20. | Chano | - iure amicitie. |
| 21. | Carpzov | - commendatione |
| 22. | Schmidt | - censu emigrationis |
| 23. | Eichel | - iure detractionis. |
| 24. | Engelbrecht | - iure pasceendi. |
| 25. | Fritsch | - iure oenopolii. |

Nr.	Præsides	
26.	Fritsch	De Messe.
27.	Happel	- fodinis.
28.	Harprecht	- Nive.
29.	Heilsberg	- iure circa fortuita.
30.	Falkner	- iure conviviorum.
31.	Beckmann	- iure ludendi.
32.	Herper	- privilegii pauperum.
33.	Ziegler	- iure victualium.
34.	Triefen	- iure circa litteras resignatas.
35.	Bodinus	- iuribus infirmorum.

Q. B. V.
Disputatio Inauguralis Juridica

De

LIMITIBUS,

Non

Grängen / Marken &c.

Quam,

DIVINA FAVENTE GRATIA,

Jussu & Auctoritate

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, ET AMPLISSIMI
RECTORUM IN CELEBERRIMA ARGENTORA-
TENSIVM VNIVERSITATE ORDINIS,

PRO LICENTIA

Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia DOCTO-
RALIA ritè & legitimè capessendi,

Solenni Eruditorum Examine sistit

BARTHOLOMÆUS MAUSELIN,

Ravenspurgo-Suevus.

Ad diem 29. Mensis Novemb. Anno N. C. MDCCLXXVII.

ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI.

S. R. I.
LIBERÆ REIPUBLICÆ
RAVENSPURGENSIS
PROCERES,

VIROS
*GENEROSA NOBILITATIS PROSAPIA,
INSIGNI NOMINIS MAGNIFICENTIA, RERUM GEREN-
DARUM PRUDENTIA, DEXTERITATE CONSI-
LIORUM, ET MERITIS IN PATRIAM
MAXIME CONSPICUOS,*

DNN. CONSULES,
DNN. PRÆTORES,
DNN. CONSILIARIOS
SECRETIORES,
DN. SYNDICUM,
CÆTEROSQUE DNN. SENATORES
GRAVISSIMOS,

*Patres Patriæ Vigilantissimos, Dominos Mecæna-
tes, Evergetas, Patronos & Promotores suos Maximos,*
Disputationis hujus Inauguralis
inscriptione,

Eâ quâ par est animi submissione venerari, simulq; iis se
& sua studia, optimo quo potest fieri titulo, commendare
voluit ac debuit

subjectissimus Cliens,
BARTHOLOMÆUS MAUSELIN.



C. B. D.

Disputatio Inauguralis Juridica

De

L I M I T I B V S.

T H E S I S P R I M A.



Ractaturo de frequentissima limitum materia, paucis inanteceffum ea, quæ eidem lumen aliquod mutuare possunt, prælibare visum fuit.

I I. Limes unde dicatur, certò non constat. Nam à liminibus *Siculus Flaccus de conditionibus agrorum* p. 18. dictum putat: quando inquit: *limina quomodo introitus exitusq, locis præstant; limites agris similiter introitus exitusq,.* Nonnulli à lite derivare satagunt, eò quòd primævæ inter homines lites & controversiæ ex limitibus & occupatione agrorum natae. Unde etiam *Virgilius lib. 12. Æneid.*

Limes agro positus litem ut discerneret arvis.

c. forus. 10. X. de V. S. Petrus Heig. quest. illustr. 2. num. 46. & 48. Petr. Gregor. Tholosan. S. I. V. lib. 39. cap. 13. num. 3. Et Ovidius de limitibus:

Tu populos, urbesq, & regna ingentia finis:

Omnis erit sine te litigiosus ager.

Rutger. Ruland. de commissar. part. 2. lib. 6. c. 1. n. 5. Quidam verò ab antiqua voce limo, quæ transversum significat, deducunt, quoniam transversa omnia antiqui limen dicebant. Hygen. de limitib.

mitib. constituend. p. 92. Magnif. Dn. D. Rebhan. Patronus & Praeceptor meus summo venerationis cultu nunquam non prosequendus in noviss. Hodeg. edit. chart. II. clim. I. parall. 3. th. 50. voc. postliminium. p. 155. Grot. l. B. & P. lib. 3. c. 9. n. 1. add. Gerhard. Voss. in Etymolog. ling. latin. voc. limes. quorum calculo non immeritò quoque ipsi subscribimus.

III. Accipitur vox *limites* non semper uno eodemque significatu. Etenim interdum Imperii Rom. fines eam denotare, docet l. 2. §. 5. 7. 8. 10. 13. 17. C. de offic. Praefect. Praet. Afric. l. 6. C. de annon. & tribut. 10. 16. l. 13. C. de advocat. diversor. judicior. l. 12. C. de excusat. mun. 10. 47. interdum pro metis, terminis ac finibus capi, tradit Hieron. de Monte sive Montanus tr. fin. reg. 6. 15. n. 4. nonnunquam flumina designare publica, quemadmodum Rhenus & Danubius Romani Imperii limites ad Septentrionem fuerunt, refert Oeting. ex Auson. in Panegyri. & Genethliaco Maximiani Imper. de jure & contro. limit. lib. 1. c. 2. n. 7. ibiq. gloss. interdum verò pro terminis agrorum, quibus agri ab agris inter vicinos separantur, accipi, tradidit Oeting. d. l. n. 7. denique, quoscunq; lapides terminales comprehendere, scriptis consignavit Ruland. de commiss. part. 2. lib. 6. cap. 3. n. 5. Oeting. d. tr. lib. 1. c. 2. n. 1. & 7. quam ultimam acceptionem nos quoque hîc nostram facimus.

IV. Cæterum non negamus, limites hos etiam aliis nominibus exprimi, ut per fines, per metonymiam adjuncti signi pro signato. Dn. D. Linck. tr. fin. reg. c. 2. n. 3. lapides finales, arbores finales. §. pen. l. de offic. iud. Ammian. Marcellin. lib. 18. appellat etiam terminos, lapides terminales, arbores terminales. l. 1. §. 3. ff. de term. mot. Paul. in 5. sent. 22. Hinc Ovid. libr. 2. Faistor. vers. 641. canit:

Termine! sive lapis sive es defossus in agro
Stripes:

quamvis limites sive termini hi frequentius lapides fuerint. Germanicè Gränstein/Marken/Untermarken/Markstein/Mahlstein/Bannstein/Schied. Güterstein/xc. Oeting. d. l. n. 2. 6. & 7.

V. Describi in genere possunt, signa ac notæ publicæ, quibus territoria & contermini agri evidenter & ritè discriminantur.

VI. Limites variè dividuntur (1.) ratione causæ effc. in naturales & artificiales. Naturales sunt, quos natura ipsa constituit. v. gr. montes, colles, rigores, valla, saxa, arbores, viæ regales, fontes, rivi, flumina, *Oeting. d. l. lib. 1 c. 2 n. 10 & c. 18. n. 2. & seqq. lit. a. & b. Ruland. d. tr. part. 2. lib. 6. c. 1. n. 9. & c. 3. n. 18. cum seqq. Mynsing. cent. 6. obs. 25. Besold. in Thesaur. Pract. verb. Marck. Knichen. de jur. territor. c. 3. n. 7. & 8.* non quidem ex sese, sed cùm limitandis distinguendisque populis apti & idonei existant, ex voluntate, opinione & præsumptione populorum. *Excellentiß. Dn. Obrecht. disputat. de sacris termini th. 3. & 34. Oeting. d. lib. 1. c. 2. n. 11. Mynsing. d. l. n. 3.* Artificiales dicuntur, qui operâ & opinione hominum constituuntur; vocantur aliàs *gesetzte und mit der Hand Arbeit gemachte Marckstein.* ut sunt: Burgi & clausuræ *l. 2. §. 4. C. de offic. Prefect. Prat. Afric. add. Gothofr. in not. lit. r. & s. & Oeting. d. l. 1. cap. 13. n. 10. ibiqz gloss. (ubi plura de Burgis & clausuris videri possunt.) l. eum. §. C. de fund. rei privat. 11. 65. l. cura. 4. C. de offic. Magistr. offic. item lapides, muri, sacella, columnæ, arbores signatæ, fossæ, viæ parvæ & vicinales & alia erecta signa, *Mynsing. d. l. num. 4. Dn. Obrecht. d. th. 3. Oeting. d. tr. lib. 1. c. 2. n. 9.**

VII. (2.) Ratione objecti in publicos, privatos & communes sive mixtos. Publici sunt, qui à duobus vicinis Principibus vel civitatibus ad dividenda territoria constituuntur: quales sunt: *die Oberkeitstein / Blaisstein / Freyhungsstein* &c. Privati dicuntur, qui agros vicini à privatis vicinis se jungunt, sive illi in sylvis, sive in campis sint positi: ut sunt lapides quos in specie *Marckstein* vocamus, item *Güterstein & Schiedstein* &c. Communes sive mixti, communem naturam obtinent, i. e. tam ad publicos quàm privatos lapides spectare possunt, v. g. *die Oberkeitstein / Marckungsstein / lapides angulares Ortstein. l. 5. §. 1. ff. de operib. publ. l. 9. §. 2. ff. de administr. rer. ad civit. pertin. c. super eo. 4. X. de parochiis. Ruland. d. tr. p. 2. lib. 6. c. 3. n. 18. & seqq. Oeting. d. tr. lib. 1. cap. 17. n. 2. Webner. obs. pract. verb. Gränge &c. Gilhausen arbor. judic. civil. cap. 6. part. 2. art. 2. §. 10. n. 6. usque ad 12.* (3.) Ratione formæ in cardinem & Decumanum. Cardo est, qui à Septentrione in meridiem; Decumanus verò, qui ab Oriente in Occidentem per transversum

dirigitur. *Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 18. Hieron. de Mont. tr. fin. reg. c. 15. n. 10. (4.)* Ratione loci, quem respiciunt, in maritimos & montanos, Maritimi dicuntur, qui ad mare spectant; Montani, qui ad montem. *Hygen. de limitib. constituend. p. 92.*

VIII. Divisionem limitum nonnullæ excipiunt differentia: quarum prima esto inter limen & limitem; illud ad privata, hunc ad publica referri testis est *Grotius de I. B. & P. lib. 3. c. 9. n. 1. Vinn. ad §. 5. n. 4 Inst. quib. mod. jus patr. pot. solv.* Secunda, inter fines & limites; ita quidem, ut isti distinctioni territoriorum adhibeantur; hi verò plerunque privatis agris tantum. *Oeting. d. lib. 1. c. 2. num. 7. ibiq. gloss.* Tertia, inter limites territoriorum & fines vicinales, de qua *vid. Montan. d. tr. c. 18. in fin.*

IX. Jus limitum antiquissimum, & post jus divinum proximum dici, refert ex *Weichbild c. 1. in pr. Petr. Heig. quest. illustr. 2. num. 52.* cui immota divinorum librorum monumenta haud refragantur. Nam ipsum divinum Numen tanquam summum agrimensorem ipsi cælo, nubibus, mari & terræ, inque ea Regnis, Ducatibus, Dominationibus &c. certissimam *ὀρθοστασιν* constituisse, divina monumenta hinc inde nos docent. *vid. Exod. 23. v. 31. Psal. 74. v. 17. Psal. 104. v. 9. Psal. 136 v. 5. Psal. 148. v. 6. Hiob. 26. v. 10. & 38. v. 8. & 10. Act. c. 17. vers. 26. Dn. Obrecht. d. disp. th. 14. 15. & 16.* Inter mortales quis primùm terminos constituerit, certò non liquet. *Plutarch. in vit. Num. de Numa Pompilio* ita scribit: *Tota agrorum distributio: ad Numam est referenda: Nam Romulus noluit mensura proprii agri prodere mensuram alieni. Si quidem virium compedes esse terminos si servarentur, & injuriæ indicium, si non servarentur.* *Dn. Obrecht. in d. disput. th. 34.* Sunt qui Cainum, ut Josephus; Ægyptios, ut Herodotus & Alexander Aphrodiseus authores statuunt. de quib⁹ *vid. Gothofr. in not. ad l. 2. ff. de term. mot. lit. g.* Illud extra omnem dubitationis aleam positum, Jacobum & Josuam suis jam temporibus in perpetuam rei memoriam certos elevalle lapides. *vid. Genes. c. 28. vers. 18. Ios. c. 4 v. 9. & 24. vers. 26. & 27.*

X. Cæterùm juri naturali an juri gentium positio limitum adscribenda veniat, non omnium eadem est sententia. Si quidem juri naturali, quo etiam jus gentium primævum indigitari solet, §. 11. l. *de rer. divis.* quodque aliàs merum & commune

ne

ne dici consuevit, l. 31. pr. ff. deposit. §. 7. l. de nupt. §. 1. l. de l. N. G. & C. eam acceptam ferendam esse, haud invalidi evincere videntur textus. vid. l. 1. pr. ff. de A. R. D. §. singulorum 11. de R. D. Verum enim verò hisce non attentis, rectius eam juri gentium assignari existimo. vid. c. 2. dist. 8 c. 2. caus. 12. q. 1. l. 5. ff. de jur. & iustit. ibi: agris termini positi. Wesenb. paratitl. de l. & l. n. 16. & ibid. Hahn. C. 1. A. 1, 1, 22. & 10, 1, 8. Montan. tr. fin. reg. c. 2. n. 1. Grot. de iur. B. & P. lib. 2. c. 2 n. 2. Dn. Fritsch. de district. Universit. agrorum civitat. vel pagi vulgò Fluhr-Recht. cap. 2. §. 1. dissent. Frantzk. Exercit. 1 quest. 6. Oeting. de jur. & controv. limit. lib. 1. ibiq; gloss. in fin.

XI. Causa constitutiva terminorum pro varietate temporum, varia quoque observata. Sic quidem, ut olim termini vel per ipsos terminorum dominos, vel per agrimensores & arbitros ponerentur. De ipsis dominis insignis exhibetur locus, qui ita habet: Tale ergò sacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant. Nam etsi in trifinium, i. e. in eum locum, in quem tres possessores attingebant, termini ponebantur, omnes tres sacrum faciebant; quiq; alii in confinio domini erant, omnes ex convenientia terminos ponebant, & sacrum faciebant; terminos autem convenientia possessorum confirmabat, ap. Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 7. Agrimensorum maximam in rebus terminalibus potestatem & apud antiquos & adhuc hodie esse luculentissimè tradidit Aymus lib. 1. de alluv. c. 16. n. 3. & seqq. Fritsch. d. tr. c. 7. num. 3. Ruland. de commiss. part. 1. lib. 4 c. 20. n. ult. Oeting. d. tr. lib. 1. c. 16. num. 11. & 16. & lib. 2. c. 5. n. 1. ut arbitratorum quoque loco habiti sint. l. 7. ff. fin. reg. l. inter castellianum. 44. ff. de arbitr. Cujac. lib. 10. c. 2. & arbitrari dicebantur. Ruland. d. l. Cicero quoque lib. 1. de ll. cautum fuisse ait lege Mamilia, vel secundum alios Manilia; ut arbitri sint agrimensores tres, perinde ac in vindicationibus earum rerum periti, regendis finibus i. e. discernendis, & ad certam æquabilemque formam dirigendis. Gothofr. in not. ad l. 7. ff. fin. reg. Wesenbec. paratitl. fin. reg. n. 3. Hahn. ad Wesenbec. d. t. n. 2. Petr. Gregor. Tholosan. S. l. V. lib. 39. c. 13. n. 11.

XII. Verum utut maxima horum circa limites fuerit potestas atque autoritas; nonnihil tamen eandem hodie per judicium

cia

cia restrictam docet *Oering d. tr. lib. 2. c. 5. n. 2. ibiq; gloss.* quem-
 admodum etiam periti sive arbitri, vernacula nostra lingua *Un-
 tergänger / Umbgänger / Schied-Richter / Schieder* & agrimen-
 sores sive Geometrae *Feldmesser* non unum idemque moribus no-
 stris significant, & diversa planè officia sustinent. *vid. Oering. d.
 l. 1. c. 16. n. 2. usq; ad 6. & lib. 2. c. 6. n. 6. c. 7. n. 4. & 6. Gilhaus. A. l.
 Civ. cap. 6. part. 2. art. 2. §. 10. n. 19. Wehner. observ. pract. verb.
 Umbgänger. Oering. d. tr. lib. 1. c. 16. num. 4. ibiq; gloss. & n. 12.*
 Illud hîc disquisitione dignum videtur, à quo arbitri & agri-
 mensores denominentur. Et tenendum in Augustissimo Ca-
 meræ Spirensis dicasterio, judicem, quando ipse positioni limi-
 tum interesse nequit, constituere commissarium, & hoc quidem
 vel ex officio, vel ad instantiam partis. Ex officio, quotiescun-
 que videt, in lapidum repositione plurimum esse situm. Ad pe-
 titionem partis, si unà cum testium examinatione, oculari in-
 spectione, & clausula lapides reponendi annectatur. *Gilhaus. A.
 l. Civ. cap. 6. part. 2. artic. 11. §. 10. num. 3. 12. 13. & 14. Ruland.
 de commiss. p. 2. lib. 6. c. 4. n. 2. 3. 4. Oering. d. tr. lib. 2. c. 6. n. 6.* Prin-
 cipaliter rursus duplici modo: aut enim ordinariè, cum termi-
 nus probandi venit, commissarius constituitur. Aut extraordina-
 riè, & id ad perpetuam rei memoriã. *Gilb. d. l. n. 15. Rutg. Ruland. d. l.
 & seqq.* Utrum verò ad perpetuam limitum memoriã talis commis-
 sio decerni queat, pluribus persequitur *Rutger. Ruland. d. l. n. 7.
 & seqq.* ubi tandem affirmativam & rectè quidem amplectitur
 atque tuetur. Et quoniam limitum materia adèd ampla est, ut
 neque iudex neque commissarius actus in eadem obvenientes
 solus expedire valeat; hinc est quod certi agrimensores ipsis ad-
 jungi soleant, per ea quæ tradit *Ruland. d. tr. p. 1. lib. 4. c. 1. pr. &
 num. 2.* à quibus pro necessitate rerum se informare patiantur.
Oering. d. lib. 2. c. 6. n. 6. Designantur hujusmodi agrimensores
 vel per decretum iudicis, *arg. l. 7. ff. fin. reg. l. 8. pr. & §. 1. ff. eod.
 ibiq; Gothofr. lit. t. 1. 3. §. 4. ff. si mens. fals. mod. dix. Würtemb.
 Land-Recht. part. 1. tit. 8. §. Erstlich ibi: auch in Städten &c.
 vel per electionem commissarii seu arbitri. Oering. d. tr. lib. 1. c. 16.
 n. 10. Ruland. d. tr. p. 1. lib. 4. cap. 4. n. 11. vel per electionem ipsa-
 rum partium. Montan. tr. fin. reg. c. 32. n. 2. Oering. d. l. W. l. d. l.
 Ruland. d. tr. p. 1. lib. 4. n. 7.*

XIII. In aliis verò inferioribus judiciis, istiusmodi personæ à Magistratu, etiam qui tantum die *Bogteyliche Obrigkeit* / aut *Dorffs-Herrschaft* / aut *Erb-Gerichte* habet, *Klock. 1. conf. 10. num. 489. Wehner. obs. pract. voc. Bogtey.* & plerunque tres à quatuor, aut si plures haberi poterunt è Senatu & plebe, inter quos semper Agrimensores esse debent, constituuntur, nomine superioris dem *Schied/ Umbgang/ oder Feldmessung und Berstainung beyzuwohnen / mit und dabey zu sein. vid. Knich. de jur. territor. c. 4. n. 360. Speid. in specul. voc. Marckstein. Oetting. d. lib. 1. c. 16. num. 6. W. L. p. 1. tit. 8 §. Erstlichen re. Cæteroquin, jurisdictione supremâ à bassâ sive inferiore separatâ, ceu multis in locis animadvertere licet, ad quamnam jurisdictionis speciem, civilem num verò criminalem prædictarum personarum constitutio, nec non alia circa limites commissa crimina pertineant? propter diversas locorum consuetudines, quæ, quod ad sublimem videtur pertinere jurisdictionem in uno loco, in alio ad inferiorem referunt, nihil certi definire ausim: sed arbitror cujusque regionis consuetudinem uti aliàs, ita & hîc utramque facere paginam. *conf. Perillus. Dn. Fridericus Antonius, Camerarius de Wormatia, L B à Dalberg/ in suâ, quam anno 1671. d. 20. Jul. sub Præsidio Viri Nobiliss. Ampliss. & Consultiss. Dn. Gerardi von Stöcken JCTI. & Antecessoris celeberrimi, Dn. Patroni & Doctoris mei etatè devenerandi, defenderat disputatione, de jurisdictione thes. 57. In fine præced. thes. quandoque ipsarum partium consensu agrimensores eligi statuimus; cum verò hisce non indistinctè fides adhibeatur, sed majoris cautionis gratia de benè & legaliter exercendo & mensurando jurare teneantur: inde quæritur: *quid de his, qui communi partium consensu electi, sentiendū sit?* Et respondetur, communem Dd. opinionem eosd. ab hujusmodi jurisjurandi præstatione exemptos pronuntiare. *vid. Ruland. d. tr. p. 1. lib. 4. c. 4. n. 3. Mynsing. 6. obs. 34. n. 13. cuve ibid. allegat. dissent. Montan. tr. fin. reg. c. 32. n. 2. Ruland. sibi contrarius. d. p. 1. lib. 4. c. 10. num. 3. Covarruv 2. Var. Resolut. 13. n. 3. In reliquis contrarium observatur. Quanquam enim peritis in sua arte credendum. Ruland. d. tr. p. 1. lib. 4. c. 12. num 10. sive affirmando sive negando aliquid deponant, & cæteris omnibus testibus præferantur, etiam tùm, cum nullam sui dicti ratio-***

B

nem

nem reddunt. *Idem d. l. num. 12.* & effato Geometrae tanquam periti credatur. *Oeting. d. tr. lib. 1. c. 16. n. 13.* ibiq; gloss. tamen, si quis vel à judice, vel ab arbitro agrimensor declaratus sit, non indistinctè ipsi fides adhibetur, sed majoris cautelæ gratia de benè & legaliter exercendo & mensurando juratò (formulam juramenti refert *Oeting. d. tr. d. lib. & c. n. 15.*) promittere cogitur *l. 20. §. omnes autem. ibiq; Gl. & Dd. C. de fid. instrument. l. 6. §. 1. ibi: interposito sacramento. C. de secund. nupt. ibiq; Bl. & Salicet. Oeting. d. l. num. 14. & lib. 2. c. 6. num. 6.* nisi sit persona publica, (prout ferè ubivis esse solet) quæ in principio sui officii, juramentum de fideliter exequendo vel mensurando præstitit. *C. I. A. 10. 1. 34. Matthias Coler. de process. executiv. part. 3. c. 9. num. 138. Gilhaus A. l. Civ. c. 6. part. 2. artic. 2. n. 20. Schneidew. ad §. 20. l. de action. rubr. fin. reg. act. num. 23. Oldendorp. class. 3. act. 14. circa fin. Bart. in l. Theopompus. n. 7. & 8. ff. de dot. præleg. Mynsing. ad d. §. 20. l. de action. rubr. fin. reg. act. num. 44. Idem 6. observ. 34. in fin. n. Oeting. d. tr. lib. 2. cap. 6. n. 8.* ibique gloss. tunc enim non semper & in quacunque causa juramentum de novo requiritur, sondern es wird der geschworne Untergänger und Feldmesser / bey seinem Anfangs geleisteten End gelassen / und desselben wieder erinnert. *Speidel. in observ. voc. Marckstein / Feldmessung etc. Ruland. d. tr. p. 2. lib. 6. c. 7. n. 2.* quoniam nemo præsumitur venire contra juramentum semel præstitum, neque immemor salutis æternæ, *l. ult. C. ad. L. Iul. repetund. Pacian. de probat. lib. 1. c. 47. num. 22. Ruland. d. tr. p. 1. lib. 4. c. 10. n. 2. & cum ibid. allegat.* Idem tamen iterùm sibi contrarius *d. l. n. 7.* cui quid regeri possit, fortassis in ipsa nostræ materiæ discussione locus dicendi dabitur.

XIV. Sunt qui de qualitate juramenti inquirunt, & ex communi Dd. opinione juramentum non veritatis; sed credulitatis esse traditur. *vid. Mynsing. 6. observ. 34. num. 11. Montan. tr. fin. reg. c. 32. n. 3. Ruland. d. tr. p. 1. lib. 4. c. 10. num. 15.* limitatur tamen hæc opinio, quando super re certa juratur, & quæ ex regulis artis certò sciri potest. *Ruland. d. l. n. 16. Mynsing. d. l. n. 12. Montan. d. l. n. 4. Mynsing. ad §. 20. l. de action. rubr. fin. reg. action. num. 44.* Nostra ætate, qui terminos tam publicos, quàm privatos erigere queant, docet *Oeting. de jur. & controv. limit. lib.*

lib. 1. cap. 17. num. 14. 15. 27. & seqq. & cap. 3. num. 18. c. 16. n. 1.
 Dn. Fritsch. d. tr. cap. 7. num. 7. Cacheran. consil. 1. num. 62 & 63.
 Add. supr. thes. 7. & infr. th. 17.

XV. Cæterum, quoniam terminorum elevatio ad rixas & lites inter vicinos sopiendas facit. Oeting. d. tr. lib. 1. c. 3. num. 18. & lib. 2. cap. 4. n. 1. ne, quæ ab initio quoque tantum privata, in bellum, quemadmodum de suis jam temporibus testantur Japiges & Tarentini, tandem degenerent. P. Gregor. Tholosan. S. I. V. lib. 39. cap. 13. num. 2. Igitur omni litigandi & belligerandi occasione & prurigini præcidenda, iudex & agrimensores, probè, quod sui est officii, attendant. Si que in rem præsentem sese contulerint, in ipso ocularis inspectionis actu, ussdem Augenschein/ auditâ utrâque parte, finales controversias humaniter de plano & sine iudicii strepitu viva voce dirimant. Dn. Fritsch. d. tr. c. 7. §. 2. Oeting. d. tr. l. 1. c. 16. num. 9. ibiq; gloss. & lib. 2. c. 4. num. 3. W. L. part. 1. tit. 8. §. Erstlich etc. Si quis autem eorundem sententia læderetur, intra consuetâ tempora appellationis remedio uti non prohibetur; sed vel simpliciter viva voce, (quod stante pede vocant.) ut si lata sententia, confestim dicat apud acta, Apello. l. 2. ff. de appellat. & relation. l. 5. §. ult. ff. eod. l. litigatoribus. 14. C. de appellat. & consultat. vel si id statim non fiat, postea intra decendum appellare poterit. Nov. 23. c. 1. c. 32. in fin. X. de Elect. c. 36. X. de testib. c. 15. vers. totaliter X. de sentent. & re iudic. Gail. lib. 1. observ. 139. n. 2. Mynsing. 2. observ. 2. Iure Wirtembergico huiusmodi appellationes non nisi mediatè in iudicio Provinciali fieri consueverunt. W. L. p. 1. tit. 59. §. Nachdem aber. Oeting. d. tr. l. 2. c. 4. num. 5. Add. Wehner. in obs. pract. voc. Umbgänger.

XVI. Evenit interdum, ut partes in agrimensores compromittant, quia arbitratorum loco habentur, vid. supr. thes. 11. Quid autem si eorundem sententia quis læsus dicatur, poteritne perinde ac à iudicum sententia appellari? negativâ satis firmiter corroborat atque tuetur, l. diem. 27. §. 2. l. non autem distingui- mus. §. 14. ff. de arbitr. l. 1. C. eod. Gail. observ. 140. n. 8. Mynsing. 4. observ. 68. Wesenbec. parat. à quib. appell. non lic. n. 5. quoniam nec iudicati actio inde nascitur. d. l. 1. C. de recept. arbitr. Non obstat l. 31. C. de appellat. & consultat. l. ult. C. de iudic. l. 9.

ff. qui satisdar. cog. Fallit tamen hoc, si laudum contineret enormissimam læsionem, aut manifestam iniquitatem, & notoriam nullitatem. *cap. 11. X. de offic. & potest. jud. deleg. l. 79. ff. pro soc. Oeting. d. tr. lib. 2. c. 4. n. 8.*

XVII. Præterea judex agrimenforibus juramentum deferat, eorundemque relationem auscultet, veteres lapides reparat & corroborat, novosque constituat. *Ruland. de commiss. p. 2. lib. 6. c. 8. num. 5.* Ubi verò circa redintegrationem & conservationem finium occupatus est, vetera monumenta sequatur, modò ne varietate successionum, vel arbitrio possessorum, fines additis vel detractis agris, postea permutati probentur. *l. 11. ff. fin. reg. l. 2. C. eod. Oeting. d. tr. lib. 2. c. 7. n. 16. ibiq; gloss. vid. Generos. Dn. von Seckendorff / Teutscher Fürsten Staat. 2, 7, 6. ibi: wie sie von alters her etc. singulis item annis eosdem visitet, er solle jährlich nach den Gränzen sehen / und wo daran Schaden und Gebrechen vorkielen / mit zuziehung der Nachbahren besserung vornehmen. Idem. 2, 7, 6. in fin. Dn. Fritsch. d. tr. c. 6. §. 2. & 3. Hancque visitationem nonnullibi vernali tempore, ipsis Calend. Maji; alibi verò ipso Walpurgis die institui solere, doc. Dn. Fritsch. d. tr. c. 6. §. 1. & 10.* Agrimenfores autem judicem de lapide sive termino informant, omnia circa modum signandi secretè agant; quanquam enim collegia eorundem publica, modum tamen signandi plerunque ita secretum esse volunt, ut alicui pandere & nefas & perjurium putent. *Ruland. d. tr. c. 8. num. 2. & c. 3. n. 16. Oeting d. tr. lib. 1. cap. 16. num. 11. ibiq; gloss. Delineationem quoque agri (Abriss / Grundriss) conficiat, ut judex & testes informantur. Oeting. d. tr. lib. 2. c. 6. in fin. Ruland. d. tr. p. 2. lib. 3. c. 15. num. 2. Add. D. Myler. Metrolog c. 13. & seq. denique; tam judex quam agrimenfores de lite benè informati, sine ullo personarum respectu, secundum id, quod ipsis æquum & justum visum fuerit, limites constituent. Oeting. d. tr. lib. 2. c. 5. n. 4. super iisdemque instrumentum conficiant, in quo partium, loci, controversiæ, diei & anni, judicium & agrimenforum, ocularis inspectionis, testium, ipsorumque lapidum mentio fiat, (copiam hujusmodi instrumenti refert Oeting. d. tr. lib. 2. c. 5. num. 9. & seqq.) Idem d. tr. lib. 2. c. 4. n. 9. Montan. tr. fin. reg. c. 17. n. 4. & c. 31. per tot. Add. W. & part. 1. tit. 8. §. Erstlich. Dn. von Seckendorff. d. l. & infr. th. 27.*

XVIII.

XVIII. Sed quid, si agrimensor in modo renuntiandi deliquerit? Respond. Dist. vel enim agrimensor est ordinarius & juratus, vel non: Priori casu iterum subdividing aut enim dolo malo fecit, aut per imperitiam: si illud, actio in factum in eum competit, quam Prætor decepto per dolum, vel per malitiam, vel per negligentiam, quæ dolo proxima est, decernit. *l. 1. pr. & §. 1. ff. si mens. fals. mod. dix. l. 2. §. 1. l. 3. §. 4. eod. gloss. in c. quia indicante. 9. in verb. agrimensoris X. de præscript. Montan. tr. fin. reg. cap. 33. num. 1.* Sin verò hoc, utique actori ad interesse tenetur, periti enim & magistri non solum delata & levi culpa, sed secundum nonnullos etiam de levissima obligati sunt: Et ratio est, quod imperitia culpæ adnumeretur, & ipse sibi impu- tet, qui onus viribus suis impar suscepit. *l. 9. §. pen. l. 13. §. 5. ff. locati. l. 132 ff. de R. I. Montan. tr. fin. reg. cap. 33. n. 3. Oeting. d. tr. lib. 1. c. 16. num. 19.* Illud non refert, utrum per se vel per alium renuntiaverit, vel per literas. Quin imò, etsi per alium expediverit officium metiendi: ipse nihilominus condemnabitur. *l. 1. §. ult. & l. 2. ff. si mens. fals. mod. dix. Oldendorp. class. 3. act. 15.* Hoc insuper tenendum, actionem contra mensorem non competere, nisi in subsidium adversario non valente solve- re. *arg. l. fin. §. 1. de eo per quem fact. erit & c. Felin. c. quia indi- cante. 9. num. 2. X. de præscription.* Posteriori casu, etsi mensor imperitè versatur sit, si tamen dolo vel lata culpa careat, culpa vacat: ut maximè ideò mercedem acceperit. *vid. l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod. dix. l. 27. §. 2. ff. de arbitr. §. 3. l. quib. mod. re con- trah. oblig. Iacob. Gothofr. ad d. l. 132. de R. I. Oeting. d. lib. & c. num. 22.*

XIX. Cæterum, quemadmodum ipsum terminorum obje- ctum non semper unū idemque; sed aliquando terra; aliquando mare; aliquando verò ipsum cælū. *Mont. tr. fin. reg. c. 7. n. 8. Paris de Put. de finib. feud. c. 1. n. 6. vid. sup. th. 6. & 7.* ita quoq; terminos nō- nunquā variè positos, diversamq; eorundem materiem hinc inde deprehendere licet. Quod enim tempore Alexandri VI. P. M. in- ter Lusitanos & Castellanos termini in cælo & aëre fuerint po- siti, scriptis consignavit *Idem Montan. d. l.* De ipsa verò limitum materie *Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 4. & 8.* hunc in modum disserit: *inveniuntur, inquit, agri, qui finiuntur terminis, &*

arboribus notatis & ante missis, & superciliis, & vepribus, & viis, & rivis, & fossis : in quibusdam regionibus palos aut petras naturales notatas pro terminis observant, alii iliceos, alii oleagineos, alii verò juniperos, alii congeries lapidum pro terminis observant, & scorpiones appellant: aut in specie maceriarum congerunt lapides, & attinas appellant. Add. *Oeting. de jur. limit. lib. 1. c. 2. num. 9. & 10. & c. 17. n. 50. & seqq. Besold. Thesaur. Pract. voc. Marck.* aliquando etiam Tempora, Sacella, Castella, Burgos, Flumina, Fontes, Montes pro finibus territoriorum assignari doc. *Iterum Montan. c. 15. n. 7. c. 17. num. 9. & c. 18. n. 1. Oering. d. tr. l. 1. cap. 17. n. 53. vid. supr. th. 6. de sepe, domo, sepulchro, puteo & aliis videbis l. ult. ff. fin. reg. Flacc. de condit. agror. p. 5. Petr. Gregor. Tholosan. S. I. V. lib. 39. c. 13. n. 5. columnarum terminalium meminit Gothofr. in not. ad l. 2. ff. de term. mor. lit. g.* In genere hinc nota, hactenus dicta non nudè & crudè acceptanda, quasi simpliciter & omni tempore hujusmodi genera pro terminis observanda sint; sed potiùs diligenter inspiciendum, quid ex ipsorum finium positione colligi debeat, & utrum consuetudo regionis admittat nec ne. *Sicul. Flacc. de condit. agr. p. 13.* Sic si quis proprias faciat in terris suis macerias, ad sustinendos servandosque agros suos, eæ non possunt esse finales: contra si non expetant terræ, quarum sustinendarum causa videatur maceria esse facta, pro finali haberi poterit. *Idem. p. 14.*

XX. Posteaquam, quid terminorum loco haberi consueverit, discussimus; jam quoque quid in eorundem constitutione & elevatione attendi debeat, dispiciemus. In genere verò tenendum, certam hanc de re regulam tradi non posse: unde consuetudines regionum maximè intuendæ, & ex vicinis exempla sumenda sunt. *Sic. Flacc. de cond. agr. p. 5. & 8. Oeting. d. tr. lib. 2. c. 7. n. 1. ibiq; gloss. cum verò supr. th. 6. limites in naturales & artificiales distinxerimus; idèd quid in utrisque hisce notatu dignum existat, paucis pro instituti nostri ratione perpendemus. Recensuim⁹ in d. th. inter limites naturales etiam petras: de quibus Sic. Flacc. ita infit: In quibusdam regionibus aliquando petras occurrentes in finibus notatas invenimus, & quasdam si perseveret rigor, notas habentes, in versuris verò gammas, sed spectantes suos*

suos rigores: aliquando etiam decussatas invenimus. *de condit. agr. p. 6.* Add. *Oeting. d. tr. lib. 1. c. 18 num. 11.* in montibus plerunq; cacumina montium, nobis die Schneeschlaiffen und Schlägelwälzen / limitum loco constitui, tradit *Oeting. d. l. n. 4. & 5.* arboribus verò notatis sive antemissis crucem à peritis insculpi, inque ejus medio foramen perterebrari, docet *Idem d. l. num. 10. & 13.* *Schneidevv. ad §. 20. l. de action. rubr. fin. reg. act. n. 26. C. l. A. 47, 2, 2. num. 3.* Sunt autem antemissæ duplicis generis, vel propriæ, vel communes. Propriæ sunt, quæ quidem in confinio positæ, verum ita, ut totæ in fundo domini proprietatis existant, adque eum solum spectent: in his notæ à foras ponuntur, ut arbores liberas in parte à nota derelinquant: communes verò sunt, quæ in confinio positæ, & utrisque proprietatis dominis pro dimidia parte communes. Hæ à tergo & fronte & mediæ signari solent. *l. 19. ff. comm. divid. Paris de Puteo in verb. limes. de V. S. Oeting. d. tr. lib. 1. cap. 18. num. 14. & 15. ibiq; gloss. Montan. d. tr. fin. reg. c. 17. n. 7. & 19. n. fin. & ad minimum singulis quinquenniis renovari atq; refecari debent. Oeting. d. l. n. 17.*

XXI. In artificialibus terminis eandem valere propositionem, quam præced. thes. de naturalibus dedimus, dubitationem non habet: Etenim quod regiones, tot insignandis lapidibus esse singulares modos, docuit etiam *Oeting. de jur. & contro. limit. l. 1. c. 14. num. 3. ibi: Und hat schier ein jedes Land seine sonderbahre weiß / die Güter und Felder zu messen. Ruland. de commiss. part. 2. lib. 6. cap. 5. in fin.* atque quamlibet civitatem & pagum idem observare scribit *Oeting. d. l. c. 17. num. 13. & lib. 2. cap. 5. n. 5. & c. 7. num. 2.* Memini *supra th. 7.* lapides in publicos, & privatos &c. à me divisos: igitur eidem partitioni insistens, primum quomodo publici, deinde quoque privati signentur, perillustrabo. Sicut autem plura publicorum lapidum genera inveniuntur, *d. thes. 7.* Ita facile quoque diversos eorundem signandi modos deprehendere licebit. Et quidem (1.) lapides territoriales *Bann-Marc- oder Oberkeirstein /* insignibus domini territorii cum anno, quo positi notari, vel signis & literis designari, ejusque domini voluntate & consensu in finibus territorii elevari solent. *vid. Oeting. d. tr. n. 15. Montan. tr. fin. reg. c. 18 n. 3. Ruland. d. tr. p. 2. lib. 6. c. 3. n. 27.*

XXII. Dd. hoc loco in quaestionem vocant; *Vtrum Princeps in bonis, quae in alieno territorio habet, tales lapides, qui aliàs gewapnete Marckstein/ vocantur, habere possit?* Negat *Oeting. d. l. n. 17. & Montan. d. tr. cap. 75. num. 5.* Excipiunt tamen casum, quo specialiter exempti atque privilegiati. *Idem all. loc.* Similiter; cum lapidibus terminalibus plerunque certi lapilli testimonii causa (unde etiam testes, Zeugen appellantur) apponi soleant; *Vtrum in hisce quoque lapidibus idem tenendum sit?* Negant quidam; quidem verò affirmant, quorum castra & nos sequimur, firmiter statuentes; magnam virtutem atque efficaciam horum lapillorum, & tantam quidem esse; ut termini omne robur ac fundamentum ex illorum appositione sumant, eaque deficiente non injuria omnia deficere dicantur. *Oeting. d. tr. l. 1. c. 17. num. 18. 19. 20. Ruland. de commiss. p. 2. lib. 6. c. 11. num. 2.* (2.) Lapidés salvi conductus Germanicè die *Geleitstein* / plerunque sunt lapideæ vel ligneæ cruces, quibus insignia domini, qui fidem publicam interponit, cum anno & verbo, *Geleit* / incidi consueverunt. Interdum etiam columnæ lapideæ aut ligneæ, statuæ *Bildstöck* / quibus itidem insignia domini Salvi conductus insculpunt, horum loco collocantur. vulgò die *Geleit-Säulen.* *Oeting. d. l. n. 28. & 51.* (3.) Lapidés asylorū die *Freyhungsstein* / plerunq; securi & amputata manu, aut insignibus Imperatoris, aut chirotheca & verb. *Freyheit* / nec non anno insigniuntur. *Oeting. d. l. n. 32.* Reliquorum lapidum & arborum notas atq; figuras nosse qui desiderat, adeat *Oeting. d. l. n. 33. & seqq. Mont. d. tr. c. 19. n. 45.* & omninò *Hygen. de limitib. constituend. per integrum librum, maximè verò fol. 154.*

XXIII. Caterum non minor hîc circa privatos, quàm supra circa publicos sese exerit difficultas. Quanquam enim apud omnes quasi exploratum habetur, olim indistinctè omnes lapidés finales sive publicos sive privatos, supernè cruce notatos fuisse. *Oeting. d. tr. l. 1. c. 17. n. 5.* diverso tamen planè modo collocationem terminorum à veteribus observatam, tradit *Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 6. & 7. quando insit*: cum terminos disponerent, ipsos quidem lapidés in solidam terram conlocabant, proximè ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, ungento, velaminibusq; & coronis eos coronabant; infossis autem quibus posituri eos erant sacrificio factò hostiaque im-
macu-

maculata caesa, facibus ardentibus infossa cooperti, sanguinem instillabant, eoque thura & fruges jactabant: favos quoque & vinum, aliaque quibus consuetudo est terminis sacrum fieri, infossa adjiciebant, consumptisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides conlocabant, atque ita diligenti cura confirmabant: adjectis etiam quibusdam saxorum fragminibus circum calcabant, quo firmius starent. *Confer Oeting. d.l. n. 12. Gothofr. in not. ad l. 2. determ. mot. lit. g. idem; Gallicis moribus haud ab simile videri, docet Knichen. de jur. territor. cap. 4. n. 362.*

XXIV. Hodie privatos lapides duplici potissimum signari modo, externè & internè, testatur *Oeting. d.tr. d.l. n. 9. & 13. in fin.* Externè quidem, ut pali in fundo vel prato, quibus crux vel simile quid incidi, inque eorundem medio foramen perterebrari solet. *Idem d.l. n. 50. & cap. 8. n. 7. ibiq; gloss. vel lapides, quorum superiori parti linea vel directa, vel transversa, vel angulosa, secundum terminatum insculpi solet; quo, quamnam in partem respiciant termini, indicet: hancque signaturam tanquam certissimam ab omnibus agrimensuris, quam maximè attendi debere, monet. Idem. d.l. n. 6. sed & deprehendi quoque lapides alios inscriptos, alios verò numeri ordine notatos, docent Sic. Flacc. de condit. agr. p. 6. Agen. Urbic. de limit. agr. p. 61. Add. Oeting. d.l. num. 21. Internè verò, quando duo, tres vel plures lapilli, tanquam indices sive testes illis supponuntur, ut indicent eorum lapidum significationem, terminos scilicet legitimè esse positos; vocantur etiam testes, Zeugen / quasi testificentur de hisce lapidibus, eorumque significatione. Italis Guardia audiunt. *Knichen. de jur. territor. c. 4. n. 359. Montan. d.tr. c. 18. n. 1. Ruland. de commiss. p. 2. lib. 6. c. 3. num. 11. & 13. Si quaeratur, quot testes seu lapilli in elevatione terminorum requirantur? Respondeo, id certò definiri non posse: probabile tamen esse, pro numero verorum testium, qui ponendo termino affuere, aut certè praecipuorum, lapillos illos fuisse additos, vel pro more illius districtus, sive loci: Igitur cujusque loci consuetudo haec attendenda, add. *supr. tb. 20. & 21. in dubio duos sufficere existimo. arg. l. 12. de testib. l. inter illam. 217. §. 1. ff. de V. S. cap. 40. de reg. l. in 6. Add. Ruland. d.tr. p. 2. lib. 6. c. 3. 14. 15. 17. & 25. Luchlin. de Curte in consil. pro communitate Terra S. Salvat. ap.***

C

Hieron.

Hieron. de Mont. tr. fin. reg. Cæteroquin, nonnullos duos, alios verò tres, præsertim angularibus lapidibus, subdere lapillos: sicquidè, ut lato lapide vel latere fracto, duo vel tria inde fragimina fiant, ipsiq; subdantur & adjuvantur termino, quò, quam nam in partem respiciant, colligi queat, testatur *Oeting. l. 1. cap. 17. n. 9.* Add. *Mornac. ad l. 5. ff. de l. & l. ibi: finalium terminorum.* Idem quoque Ravenspurgi, quæ Patria mihi dulcissima, observari, ipse aliquando vidi & testari possum.

XXV. Neque verò lapidi lapillos solùm subdi videmus; imò etiam cineres aut carbones, aut testas, aut vitrea fracta, aut ossa subcensa, aut calcem, aut gypsum, aut lateres; ut si post longum aliquod tempus in dubium vocetur, lapidem istum ab hominibus pro termino non esse positum, sic per istos testes cineres, carbones &c. probetur, non casu eò pervenisse lapidem, sed constitutum, & ab hominibus pro limite positum esse: daß es ein *Marck*, oder *Bann*, und nicht ein *Feld*, oder *Ackerstein* sey / wie man auch die *Mahlbäume* mit einem *Creuz* oder sonst einem *gemerck* zu zeichnen pfleget. *Sic. Flacc. de cond. agr. p. 6. Schneiderv. ad §. 20. de action. rubr. finium regund. act. in fin. Knichen. de jur. territor. c. 4. num. 360. C. I. A. 10, 1, 36. num. 1.* Carbonis autem usus quare introductus sit, equidem adæquata ratio secundum *Sicul. Flacc.* dari non potest; fuit tamen certa aliqua, & apud antiquos observata, postea verò neglecta. *Augustinus de civitat. DEL. 21. cap. 4.* Idèò carbones lapidibus subterni putat, quod in terra conditi, non putrescant, & sic ad convincendum litigatorem, quisquis post quantalibet tempora extiterit, fixumque lapidem limitem non esse contenderit? faciant. *Vid. Speidel. in specul. voc. Marckstein.* Cæterum in disquisitione quæstionis, *utrum signum sub omnibus terminis inveniri oporteat?* Negativam tuemur, rationes videlicet ap. *Sicul. Flacc. p. 6. Oeting. d. tr. lib. 1. c. 17 n. 19.*

XXVI. Ad meliorem superiorum intelligentiam probè animadvertendum; ut in omnibus ritè procedatur, primùm omnium ocularem inspectionem, tanquam omnium probationum firmissimam, per necessariam esse. *Oeting. de jur. & contr. limit. lib. 2. c. 6. n. 1. & num. 3.* ibiq; *gloss.* quia sensus ocularis omnium accuratissimus ac præsentissimus dignoscitur. *arg. §. ult. l. de gradib. cognat.* Deinde partes quarum interest, ad hunc actum

ctum citari debent, ut ipsi actui intersint. Atque hæc citatio ita necessaria est, ut eâ omisâ, totus actus infirmetur & annulletur. *l. inter Castellianum. 44. ff. de arbitr. l. 3. vers. quod si altera. C. fin. reg. l. generaliter. §. pen. C. de jurejur. arg. l. non dubium. 5. C. de ll. cap. 2. in fin. X. de testib. Oeting. d. tr. lib. 1. c. 17. n. 45. & lib. 2. c. 4. num. 4. C. l. A. 10. 1, 34. Montan. d. tr. c. 31. n. 1. c. 32. num. 5. & c. 101. n. 4. Ruland. de commiss. p. 2. lib. 6. c. 7. n. 3. & seqq. Wesenbec. parat. de authorit. & consens. tutor. n. 5. Dn. Fritsch. d. tr. cap. 6 §. 5. si tamen citati, constituto die præsentiam suam fortè per calliditatem differendi judicii causa detrectent, tunc commissarius & agrimensores nihilominus officium suum exercere poterunt. *d. l. 3. C. fin. reg. Oeting. d. tr. lib. 2. c. 7. num. 6. C. l. A. d. l. Oldendorp. class. 3. act. 14. reg. fin. circa fin. contra si designum uti vocant per agrimensores in partium sit præsentia factum, plenam facit fidem. Coler. de process. executiv. part. 3. c. 9. num. 139. Montan. tr. fin. reg. c. 19. n. 1. c. 31. n. 5. & cap. 65. n. 1. Luchlin. de Curt. in consil. pro communitate Terra S. Salvator. n. 10. & 11. ap. Hieron. de Mont. d. tr.**

XXVII. Ipsa citatio tres potissimùm circa personas occupata est; partem nimirum producentem, partem contra quam, & peritos. *Gilhaus. A. l. Civ. cap. 6. part. 2. artic. 2. §. 10. n. 16. Ruland. d. tr. p. 2. lib. 6. c. 5. num. 2. terminus autem citationi inferendus, liberrimæ ipsius commissarii dispositioni relinquatur. argum. l. 1. §. ult. de jur. deliberand. l. 9. in fin. C. eod. l. 8. §. 3. ff. de reb. auct. jud. possid. l. si quis à filio. 32. §. 2. ff. de legat. 1. cl. 1. de reb. Eccles. non alienand. ibiq; gloss. Add. Montan. tr. fin. reg. cap. 31. num. 1. hisce sic præmissis, tunc, quando ad locum controversum deventum fuit, commissarius locum per peritum pictorem depingendum vel designum fieri facit, befihle einen Abriss zu machen / partibus præsentibus cum nominibus Regionis, & confini sive collateralis die angewandt. e. g. ab Oriente possidet Petrus, ab Occidente Franciscus &c. vid. R. l. de anno 1654. §. wann es umb Gränzen. Montan. d. tr. c. 16. & c. 31. num. 5. Oeting. d. tr. lib. 1. c. 14. n. 11. & 12. & c. 19. num. 3. lib. 2. c. 5. n. 12. & c. 6. n. 9. & 10. Petr. Greg. Tholosan. S. l. V. lib. 39. c. 13. num. 11. Knichen. de jur. territor. c. 3. n. 99 Mornac. ad l. 4. §. ult. ff. fin. reg. Dn. à Seckendorff / in addit. des E. J. S. p. C 2 46.*

46. *ibi*: neben wem sie ligen/ & iterum *ibi*: und wo möglich einen Grund. Nicht verfertigen. *Add. supr. thes. 15. & 17. actis itidem vel instrumentis vetus & novum contrahentiam nomen describi curat, & quod non solum ad locum accesserit, sed etiam quod viderit, tot affixos lapides, in finium figura, vel etiam arbores cum signis, qui & quæ videbantur fines viri, vel quod non essent in finium figura, vel quod viderentur mutati. Hieron. de Mont. tr. fin. reg. c. 17. num. 4. c. 21. in fin. & c. 31. n. 3. add. supr. th. 17. in fin. Quid autem, si notarius in exprimendo vel distribuendo confinia eraverit, totumne instrumentum vitietur, an verò tantum pro parte? vid. Montan. d. tr. c. 84. n. 2. & 3. Illud etiam annotari operæ pretium duxi, hodie lapides plerisque in locis, non uti olim palam, sed secretè designari solere. Oeting. d. tr. l. 1. c. 16. num. 11. Ruland. d. tr. p. 2. lib. 6. c. 3. num. 26. ne facilè occasio lapides amovendi detur extraneis, maximè militibus, qui nihil magis quàm territoria confundere & extirpare student, si credimus Ruland. d. l. n. 26. & 28. & c. 4. num. 9. Oeting. d. c. 16. n. 11. add. supr. thes. 17. & si lapides pro confiniibus ponantur, quòd si sint immobiles, vel quod mobiles habeant alios parvos lapides *ibi* affixos supra terram, qui vocantur indices, ostendentes locum, quem definiant. C. l. A. 47, 21, 2. n. 4. Montan. d. tr. cap. 17. n. 3. Paris de Puteo de finib. feudor. c. 1. num. 20. & 21. Ipsos sumptus quod concernit, illi communibus expensis fieri debent, aded ut si alter litigantium refragetur & contradicat, ad præstandos illos etiam à iudice sit compellendus. Dd. ad l. 3. C. fin. reg. Oldendorp. class. 3. act. 14. circ. fin. Dn. Fritsch. d. tr. c. 3. §. 1. *ibi*: Und die Steine auff gleiche Unkosten verschaffen.*

XXVIII. Probantur termini variis modis, vel per vivam vel per mortuam vocem. Per vivam vocem, utpote (1.) per testes de visu. c. cum causam. 13. X. de probat. Montan. d. tr. c. 50. num. 1. (2.) de auditu. Idem d. tr. c. 51. num. 1. c. 53. num. 16. Paris de Puteo tr. de finib. feudor. cap. 14. n. 1. Cacher. cons. 1. n. 87. (3.) de consuetudine & famâ publicâ deponentes. d. c. 13. de probat. Mascard. de probat. Vol. 1. conclus. 396. Iacob. de Puteo in consil. pro communitat. Terra Valent. n. 26. & 49. ap. Montan. tr. fin. reg. Mornac. in digest. ad rubr. tit. fin. reg. (4.) per plures præsumptiones, conjecturas & indicia simul juncta, d. c. 13. *ibi*:

☉

Et quaecunque ad minicula. de probat. Bocer. class. 3. disputat. 19. thes. II. Pancirol. consil. 189. num. 12. Cacher. d. consil. 1. num. 82. Paris de Puteo d. tr. cap. 7. n. 4. Per mortuam vocem, ut putà (1.) instrumenta vel scripturam ad perpetuam finium memoriam factam, Mascard. de probat. Vol. 1. conclus. 399. Montan. d. tr. c. 60. num. 1. Add. Cacher. d. consil. 1. n. 3. Paris de Put. d. tr. c. 24. n. 15. (2.) per antiquos libros Saalbücher/ d. c. 13. X. de probat. ibiq; gloss. Abb. Imola & alii Dd. Mascard. d. tr. Vol. 1. concl. 398. Hieron. de Mont. d. tr. c. 62. n. 2. Knichen. de jur. territ. c. 3. num. 12. & 46. (3.) per testas, carbones vel alios murellos sive lapillos, quos sub se habent. C. I. A. 10, 1, 36. n. 1. Ruland. d. tr. p. 2. lib. 6. c. 11. n. 7. Add. sup. thes. 24. (4.) per census auctoritatem ante litem contestatam ordinati. l. II. ff. fin. reg. ibiq; Gothofr. in not. seu libros censuales die Steuerbücher/ in quibus fundorum confines, die anstoß und angewand exponebantur. argum. l. 4. ff. de censib. l. 10. ff. de probat. C. I. A. 10, 1, 36. n. 2. Wesenbec. paratitl. fin. reg. num. 7. (5.) per scripturas publicas in archivo publico repertas. Montan. d. tr. c. 63. num. 1. Add. Mascard. d. tr. Vol. 1. conclus. 393 & seqq. Menoch. de presumption. lib. 6. cap. 43. Oeting. d. tr. lib. 1. c. 18. n. 26. ibiq; gloss. Montan. d. tr. qui fusillimè probationem terminorum à cap. 50. usque ad 71. deduxit. Dd. qui ad c. super eo X. de paroch. commentati sunt, & omninò Knich. de jur. territ. c. 3. n. 10. & seqq.

XXIX. Ellet jam illud quoque discutiendum; an, quando & quomodo limites possint praescribi? Verùm enim verò, cùm id jam ab aliis ventilatum noverim, atque cramben bis coctam reaponere tædeat; igitur compendii studio ad illos B. L. remitto. vid. interim Montan. d. tr. c. 71. n. 4. c. 74. n. 7. c. 76. num. 14. & 15. Oeting. de jur. & controv. limit. lib. 2. c. 7. n. 18. & seqq. Mynsing. 6. observ. 28. Bocer. 2. digest. parte disput. 8. thes. 15. Petr. Costalius ad l. 1. ff. fin. reg. Hostiens. in summa de parochiis & c. n. 8. Paris de Puteo de finib. feudor. c. 27. Ad contraria quæ vulgò obijciuntur, respondit Mynsing. d. l. Cæterùm, quemadmodum fines jure finium praescribi non possunt; ita nec coherencia finium d. c. super eo X. de Paroch. secus verò sese res habet circa ea, quæ sunt intra limites. vid. Montan. d. tr. c. 19. n. 1. & 7. Mynsing. d. l. Unde, si propè limites esset amplissimum praedium; sa-

nè non totum prædium erit impræscriptibile, sed ea tantum pars, quæ limitibus principaliter cohæret; quænam autem & quanta pars limitibus cohærere dicatur, cum nullibi reperire liceat, iudicis arbitrio committendum existimo. *vid. Montan. d. tr. l. & n. cum n. 8. & 9. Add. sup. th. 27.*

XXX. Finis limitum longè celeberrimus: Etenim eos ad distinctionem jurisdictionum & territoriorum facere, traditum est à *Montan. d. tr. c. 17. n. 11. Speid. in specul. voc. Gränzen. Cacheran. consil. 34. n. 4.* idem quoque passim ex supra dictis elici potest. pacem itidem atque amicitiam iisdem propagari, literis prodidit *P. Greg. Tholosan. S. I. V. lib. 39. cap. 13. n. 4. Wesenbec. in paratitl. fin. reg. n. 2. Add. Anton. Mornac ad l. 4. §. 5. ff. fin. reg. vid. sup. th. 15.* similiter, unum ab alio distinguere prædio; ne ita facilè ob temporis tractum, ratione limitum & terminorum lites & discordiæ exoriri queant, daß man wisse / wie weit sich ein jedes Gut erstrecke / und niemand hierinn vervortheilt werde / literis consignavit *Speid. in specul. voc. Marckstein. & voc. Gränzen.* denique ad id, ne confusione terminorum totius politiæ ordo confundatur, eosdem conducere, docet *c. pervenit. 39. causa. 11. q. 1. Tholosan. d. l. n. fin.*

XXXI. Transitum facio ad effectus limitum, ex quibus unum & alterum non tam examinare, quàm delibare animus est. Considerantur diversimodè; & respiciunt vel ipsum terminum terminantem, vel terminum terminatum, vel remedia & actiones ea propter competentes. Primùm quod concernit, sciendum, terminos, si apparuerint, instrumentorum publicorum loco haberi. *vid. Montan. d. tr. cap. 15. n. 13.* & monumenta appellari, quoniam ad perpetuam memoriam positi videntur. Imò quantum sunt antiquiores, tantum esse efficaciores, nisi mutati probentur, doc. *Paris de Puteo de finib. feud. c. 4. n. 9.* maxima deinde virtus atque efficacia eorundem in eo quoque sese exerit, quòd cum jure naturali omnia bona communia fuerint, & propter hominum improbitatem illa communio diutius subsistere nequivisset, certa & distincta rerum dominia fecerint, eoque ipso magnam civilium dissensionum occasionem amputarint, *l. 5. ff. de I. & I. ibiq; Gothofr. in not. lit. i. & k. Manz. ad §. 20. l. de action. in rubr. fin. regund. action. n. 5.* Præterea, confinia mensuram

suram indicant, & rem designant, & quicquid est intra comprehendunt. *vid. l. 73. §. 1. ff. de contrab. empt. Montan. d. tr. c. 88. num. 1. Gylmann. Symphorem. tom. 2. part. 1. vot. 1. n. 102. Paris. 4. conf. 4. num 1.* denique sicuti per sepulchrum hominis memoria conservari dicitur; ita per limites finium memoriam retineri, notatum est *ab Angel. ad §. 20. l. de action. num. 10 & Iason. de action. n. 38. Montan. d. tr. c. 21. n. 7. Oeting. de jur. controv. limit. l. 1. c. 17. n. 58. Mascard. de probat. conclus. 103. n. 23. Knichen. de jur. territ. c. 3. n. 5.*

XXXII. Alterum quod spectat, ipsum videlicet terminatum, die *Marckscheidung an sich selbst*; tenendum, in publicis limitibus omne id, quod tale spatium occupat, nisi expressè exemptum sit, domino illius territorii cum omni jurisdictione subjectum esse. *Oeting. d. tr. lib. 1. c. 8. n. 1. & ibi gloss. cum. alleg. author. Gylmann. symphorem. tom. 2. part. 1. vot. 1. n. 90. & 113. Natta consil. 204. n. 1. & seqq. Cacheran. consil. 3. n. 5. Klock. 3. consil. 147. num. 8.* sic quidem, ut omnes controversiæ tam finium, quam aliarum rerum, in tali spatio exortæ, coram ejusdem territorii domino terminari debeant, & nihil absque ejusdem domini consensu in extraneos alienari valeat. *Oeting. d. l. num. 3. 4. & 10. Dn. Fritsch. d. tr. cap. 8. §. 9.* Neque tamen ista jurisdictio perpetuè intra cancellos agrorum limitatorum acquiescit; imò nonnunquam in aliena quoque territoria & districtus sese protendit. Argumento sit judicium provinciale Sueviæ & Franconiæ, quod ut plurimum cum aliis Dicasteriis concurrentem jurisdictionem agnoscit, indidemque in ea locum præventio habet. *Oeting. d. tr. lib. 1. c. 8. n. 18. ibique gloss.* Illud omninò hîc annotari meretur; etiamsi terminus terminatus jus territorii & jurisdictionem complectatur; ita quidem, ut intra illum constitutum, ad dominum territorii spectet, alles was darinn gelegen und befräist. ex eo tamen rerum particularium dominium validè inferre non posse. *vid. Knichen. de jur. territor. cap. 3. n. 101. 107. & 108. Montan. d. tr. c. 15. n. 12. Guido Pancirol. consil. 195. n. 40. Add. Natta, Cacheran. Klock. all. loc.* Cæterum limitatorum bonorum possessores ad onera & contributiones teneri, tradidit *Oeting. d. lib. 1. c. 8. n. 14.* sive clerici sint sive laici. *Idem d. l. ibique gloss. C. l. A. 50, 15, 29. num. 5.*
Suffi.

Sufficiant hi de termino & terminato effectus, plures qui expectit, passim ex superioribus thesibus & authoribus allegatis haurire poterit. Pergo ad tertium remedia scilicet, & actiones.

XXXIII. Etsi vero quilibet terminis suis contentus esse debet, nec supra mensuram juris sui quid affectare *c. si quis Episcopus. 31. caus. 7. quæst. 1. fac. text. in l. 11. C. unde vi.* tamen avaritia hominum, radix omnium malorum, facit, ut nemo non summis viribus fines domini sui quoquo versus extendere conetur. *Oldendorp. class. 3. act. 14. Oeting. d. tr. lib. 2. c. 1. num. 1.* idque sive per fas sive per nefas uti ajunt fiat, minimè curet. At, cum fines prædii sui tueri, domini proprietatis interfit. *l. 16. §. 1. de usu & habitat.* & verò juris æquabilitas vicinos, ut fines suos accuratè custodiant, & ad invicem quâlibet horâ digladiantur, ne limes excedatur, non admittat. *Montan. d. tr. c. 67. n. 17.* & quominus custodiuntur, quoque magis patent iuriis eò diligentius legum sanctionibus eosdem præmunire oportuerit. *Wesenb. paratit. fin. reg. n. 8.* hinc LL. conditores multa voluerant esse adversus hanc perniciem juris remedia. Recensentur eorundem præcipuè quatuor. Primum, est actio finium regundorum, quæ datur habentibus agros confines, ad prædia terminis non distincta, terminis disterminanda. *Mynsing. ad §. 20. de act. in rubr. fin. reg. act. num. 44. Montan. d. tr. cap. 40. n. 3.* etiamsi nulla turbatio præcesserit, tantùm ut fundi distinguantur, ad occurrendum futuris rixis; cùm homines naturaliter ad dissentendum sint faciles. *l. 17. §. 6. ff. de arbitr. l. un. §. 1. ibi: movet enim. ff. de libert. Univers. l. 1. in fin. & l. 2. ff. de A. vel A. P.* deinde ut termini evulsi, vel à flumine vel ab homine relocentur vel convenientius reponantur, & ne fortè quis turbetur præcaveatur &c. *Mynsing. d. l. n. 50. Oeting. d. tr. l. 2. c. 1. n. 3. c. 8. n. 1. Vinn. ad §. 20. n. 4. l. de action.*

XXXIV. Secundum juris remedium conditionem ex *L. si constiterit. 4. C. fin. reg.* constituunt. cui haud absimile videtur, quod olim quoque à Romulo sancitum: ut, si quis vicini terminos usurpasset; is, cui voluisset eripere, totum agrum usurpantis in multæ locum acciperet, hicque ad eum justè pertineret. *vid. Tholosan. S. I. V. lib. 39. c. 13. n. 7.*

XXXV.

XXXV. Tertium remedium L. Agrariæ *ex l. ult. ff. de term. mot.* competit. Indigitatur aliàs conditio de termino moto. In dicta verò *l. ult.* statuta est pœna pecuniaria per Cajum Cæsarem, contra mutantem, & dolo malo amoventem terminos statutos, extra suum agrum, ut pro singulis terminis, quos ejecit & loco movit, quinquaginta aureos dare compellatur, *d. l. ult.* Non refragatur hîc *l. i. ff. eod.* ex quâ terminorum avulsorum multam non esse pecuniariam eliciunt. Quod enim *d. l. ult.* de pecuniaria pœna statutum est, id ita videtur accipiendum, ut talis sit, si ex LL. Agrariis agatur. *d. l. ult. pr. & §. i.* deinde tenendum, vocabulum multæ *in d. §. i.* non propriè sed abusivè tantum poni, cum revera multa non sit; sed omninò pœna *l. 131. §. i. & c. & multa quidem ff. de V. S. C. I. A. 47. 21, 8. n. 5.* applicatur ista pœna fisco. *d. l. ult. ibi: in publico. C. I. A. all. libr. & rit. th. 9. num. 9. v. lib. 49, 14, 8. num. 33. Bart. ad d. l. ult. Mynsing. ad §. 6. n. 2. l. de offic. iudic. Montan. d. tr. c. 36. num. 3. gloss. ad l. ult. dissent. Panormit. in c. ex literis. 3. in fin. X. de probat. Gædd. in l. 12. pr. n. 16. de V. S. vid. iterùm gloss. ad d. l. ult.*

XXXVI. Aliâ quoque L. Agrariâ, quam Divus Nerva tulit, constitutum est, ut si servus servave, insciente domino, dolo malo evulsisset fines, si dominus dominave multâ exsolvere recusaret, pœna capitali plecteretur. *d. l. ult. de term. mot.* quod insuper hi, qui finalium quæstionum obscurandarum causa faciem locorum convertunt, ut si faciant ex agro arbutum, aut ex sylva novale, pro modo & qualitate personæ, & factorum violentia, puniri queant, docet *ead. l. ult.* Illud in sæpè citata *l. ult.* (pace magnorum virorum, *Decii* putà & *Menochii*) omninò impugnandum existimo: quando ex eâdem lege pœnam 50 aureorum non modò adversus eos, qui solo animo furandi lapidem pro termino positum movent; sed & contra quoscunque locum habere arbitrantur. Utrumque enim falsum esse, tum ipsum *pr. d. l. ult.* tum verò etiam maximi nominis viri jam evictum dedere. Et quidem *d. pr.* quod attinet, ejus pœnam contra quoscunque terminorum motores non competere, convincunt verba, *dolo malo.* Quid enim, si quis non dolo malo; aut, cum alios lapides auferret, fortuitò lapidè simul terminalem, inter eos per ignorantiam tolleret? An in utroque casu *ex d. l. ult.* condi-

Etio de termino moto locum habebit? Minimè gentium. *vid. l. 2. ibi: ex mente facientis & c. vers. quod si. in fin. de term. mot. l. 3. pr. ibi: dolo malo. eod. l. 53. pr. de furt. cap. 54. X. de sentent. excommun.* Alterum quod concernit, scilicet eos, qui solo furandi animo lapidem pro termino positum movent, non ut limites atque fines obscurent vel corrumpant, ex L. Agraria conveniri non posse, & pœnæ furti locum esse, itidem principes JC. astipulantur. *vid. Abbas in c. ex literis. 3. in fin. X. de probat. Montan. d. tr. c. 35. num. 7. Plot. in l. si quando. 9. num. 726. C. unde vi. Iul. Clar. libr. 5. sentent. juris quest. 83. vers. terminos movens. Farinac. de furt. quest. 168. num. 100. Tholosan. S. l. V. lib. 39. c. 13. num. 10. Althus. diceolog. lib. 1. cap. 116. n. 35. Menoch. de A. l. Q. lib. 2. cent. 4. cas. 393. n. 11. ubi se ipsum notat, & sententiam, quam superiore n. 4. tutatus erat, retractat.*

XXXVII. Porro, terminos non ea ratione moventi, ut sui agri fines versus vicinum extendat; sed ut litem finium inter eos pendentem in sui favorem definiri faciat, non L. Agrariae, sed arbitrariam pœnam pro conditione personæ, & factorum violentia injungi, Dd. *ad d. l. ult. tradunt. vid. Menoch. d. l. num. 18. Althus. d. l. Plot. d. l. si quando. 9. num. 726. vers. ubi autem. C. unde vi.* quanquam hoc secundum Menochium *d. l. n. 19.* limitationem quandam recipere videri possit: videlicet, ut dicta obtineant quoad pœnam, quæ Reipubl. causa indicitur; quoad verò adversarium læsum, constitutio *l. si constiterit. 4. C. fin. regund.* attendatur. Cæterum per vim terminos dejicientes extra ordinem conveniri posse, docet *Tholosan. d. l. num. 10.* Quid autem, si quis unico contextu, plures evulsit terminos? quâ pœnâ afficiendus veniat, notat *Montan. d. tr. c. 34. num. ult.* Sed quid, si arbores terminales inciderit? tenetur non tantum ad interesse *per §. penult. l. de offic. Iud.* verum etiam pœna arborum furt. *cas. l. 1. l. 8. arbor. furt. cas. Montan. d. l. n. 10.* Contra, si arbores furtim corrumpere tentaverit, puniri non poterit *d. l. si constiterit. 4. Cod. fin. reg.* in qua requiritur occupatio & continuatio delicti. Quod si verò inceperit ferire arbores causa cædendi, licet ex toto non incidat, tamen videtur cadere in pœnam. *Idem. d. tr. n. 11. 12. & 13.*

XXXVIII. Quartum denique remedium est accusatio criminalis, ex constitutione Hadriani, quâ in terminorum motores pro conditione personæ, & mente facientis permittitur coercitio. *l. 1. & 2. de term. mot.* Ita quidem, ut nobiles, qui causa occupandorum finium, terminos moverunt, relegentur: si juniores in longius tempus: si seniores in recisius sive remissius. *d. l. 2. de term. mot.* Sin autem ut negotium alicui facerent, per biennium in opus damnandi & castigandi sunt: si verò per ignorantiam, vel fortuitò lapidem furati sunt, verberibus solùm cædendi *d. l. 2.* Sed quid, si humiliores sunt? gravius ne vel leviùs puniendi? Id quidem *ex d. l. 2.* non constat: video tamen nonnullos ipsis fustium pœnam dictare, *Menoch. de A. 1. Q. lib. 2. cent. 4. cas. 393. num. 16.* quidam mitiùs esse puniendos defendunt. *C. l. A. 47, 21, 8. num. 2.* alii denique in opus publicum detruunt. Nos, cum in specie definitum non sit, quâ pœna affici debeant, arbitrio Judicis neque injuria committimus. Occasione verborum *d. l. 2. & ministerio functi sunt*, Dd. etiam quærere solent, *quid statuendum sit de eo, qui ad mandatum alterius terminos movet?* Et extat locus ap. *Harmenopolum lib. 6. cap. 7. de term. mot.* qui ita habet: Qui verò ea in re alterius ministerio functus fuerit, castigatus ad locum publicum biennio datur. Ex quo si quid conjecturare licet, illud erit: pœnam hanc mandanti non autem mandatario indici: nisi dicamus eandem esse hoc in casu mandantis & mandatarii pœnam: atque dictum locum, loca diversa; non autem pugnantia continere. *Menoch. d. l. num. ult. Damhoud. Prax. rer. crimin. cap. 127. n. 6. Farinac. de furt. quest. 168. num. 110. Montan. d. tr. c. 34. num. 7. propè fin.* ubi etiam, quid de jure Canonico obtineat, simul animadvertit. Adde *Farinac. d. l. n. 111.*

XXXIX. Intentatur hæc accusatio coram giudice non finium; sed criminum. *l. 4. §. 3. ff. de fin. reg. ibiq; Gothofr. in not. & quidem à quocunque qui volens, fac. l. ult. pr. ibi: ejus actionem &c. ff. de term. mot. Damhoud. d. c. 127. n. ult.* si quæ terminorum motor civiliter punitus fuerit, pœna parti applicanda venit; sin autem criminaliter fisco applicabitur. *Montan. d. tr. d. c. num. 6. & cap. 36. in fin. C. l. A. 49, 14, 8. num. 33. Damhoud. d. l.* Cæterùm terminorum violatoribus nunquam non maximè ex-



sis, exquisitissima & satis acerba præstituta sunt supplicia, uti Historia tam sacra quam profana attestatur. Etenim Hebræi publica & solemni maledictione devovebant eum, qui terminos dolosè movisset, formula hac: *Maledictus sit omnis, qui transfert terminos proximi sui, & dicat omnis populus, Amen. Deut. 27. vers. 17. in legib. 10. caus. 12. quest. 2. Add. Deut. 19. v. 14. Proverb. 22. vers. 28. & 23. v. 10.* hæc verò, quando in centenicis ordinationibus olim terminorum violatoribus scienter caput defulcabatur: *Wo einer wissenlich Marcksteine außgrabet / der soll man in die Erde graben / bis an den Hals / und soll dann nehmen vier Pferde / die des Akerens nicht gewohnet sind / und einen Pflug der neu ist / und sollen die Pferde nicht mehr gezogen / und der Enck / i. e. agaso, nicht mehr geahren / noch der Pflughalter nicht mehr den Pflug gehalten haben / und ihme nach dem Halse ähren / bis so lang er ihm den Hals abgeahren hat. Knichen. de jur. territor. cap. 4. num. 275. ubi addit: Quamvis singulis judiciis Petrinocentenicis publicè adhuc prædicta pœna recenseatur, eam tamen in desuetudinem abiisse.*

XL. Numa Pompilius secundus Romanorum Rex, eum qui terminos sustulisset, aut suo loco movisset, & tale quid patrare ausus, DEO sacrum esse sanxit, ut cuilibet eum interficere tanquam grassatorem, furem, sacrilegum liceret, idque & in privatis agris & publicis constituit: verba prædictæ Legis antiquæ referuntur à Crinito lib. 8. de honest. disciplin. c. 10.

Qui secus faxit & terminum exaravit

Ipsus & boves sacri sunt.

*vid. Knichen. d. l. num. 368. 369. & 370. Menoch. de A. I. Q. lib. 2. cent. 4. cas. 393. num. 3. Oeting. d. tr. lib. 2. cap. ult. num. 2. lit. c. Gothofr. ad l. 2. ff. de term. mot. lit. g. Sunt qui ex diversis statutis varias deducunt pœnas. Knichen. d. l. num. 372. De jure Saxonico videri potest Carpzov. I. F. part. 4. constit. 37. defin. 10. Schneidevvin. §. 20. de action. rubr. fin. reg. num 3. De Bavarico. Abraham Saur in fascicul. de pœnis pag. 40. De Bambergeni crim. constit. Idem d. l. Hodie hanc pœnam arbitrariam esse arbitror. per l. 1. Cod. de accusat. ibiq; Bald. in pr. ubi ait: *evulsor finalium terminorum, extraordinariè arbitraria pœna punitur. l. 1. l. 2. l. ult. §. 1. & ult. ff. de term. mot. Menoch. d. l. num.**

num. 2. *Francisc. Vivius lib. 1. comm. opin. in verb. terminos. Farinac. de furt. quest. 168. n. 92. Odinat. crimin. art. 114.* Quamquam ex d. constitut. contrarium quidam probare satagunt, & capitali supplicio, propter verba, *peinlich am Leib /* locum tribuunt, si temerarius terminorum motor existat; id tamen usū servari se non vidisse, dicit *Knichen. d. tr. cap. 4. num. 374* quòd plerunque arbitraria pœna, ut temporalis relegatio, & quandoque fustigatio imponi soleat. *Coler. decis. 145. num. 9. Klock. 1. consil. 11. num. 44. Menoch. d. num. 2. Schulz. ad tit. instit. de action. lit. o. p. 1276. Hahn. ad Wesenb. tit. de term. mot. Vigel ad constit. Carol. c. 10. reg. 13.* atq; id ipsum in Gallia quoq; observari, *Mornac. ad l. 4. §. 4. ff. fin. reg.* annotavit. Interdum tamen etiam ultimo supplicio locum dandam esse, prout suadet delictorum atrocitas & circumstantia, docet *C. I. A. 47, 21, 8. num. 6.* Add. *Schneidevv. d. l. Schulz. d. l. Wesenb. paratitl. de procurator. & defensorib. n. 4.* ibi: *nam arbitraria coërcitio &c.*

XLI. Mutatio terminorum non præsumitur, *Gothofr. ad l. 2. C. fin. reg. lit. o.* sed statur antiquis terminis, nisi novi probentur. *Idem ad l. 1. C. eod. lit. l.* ibiq; *gloss. Bl. ad Salicet. Angel. ad §. 20. num. 12. l. de action. Paris de Puteo de finib. feudor. c. 4. num. 8.* Commutantur autem limites duobus potissimum modis: vel natura, vel facto hominis. Naturâ seu fato, ut tempestate. *Oeting. d. tr. lib. 2. c. 1. n. 5. Dn. Fritsch. d. tr. cap. 6. §. 1. inundatione fluminis. l. 8. pr. ff. fin. reg. Oldendorp. class. 3. act. 14. terræ motu. Oeting. d. l. Montan. tr. fin. reg. c. 21. num. 6. temporum vetustate. Oeting. d. l. Dn. Fritsch. d. tr. cap. 6 §. 1. Wesenbec. paratitl. tr. fin. reg. num. 3.* quoniam lapides senectutem vitam & mortem patiuntur, & parere eos dixit *Theophrast. & Mutian.* referente *Plinio lib. 3. cap. 18.* Et licet nonnulli nec vivere, nec ali lapides dicant: tamen senescere concedunt, non quod illis deficiat, sed quod materia illorum vel dissolvatur vel corrumpatur. Sic mors etiam saxi advenit, i. e. dissolutio & abolitio, teste *Ausonio in Epigrammatib.*

*Truncatis convulsa jacent elementa figuris,
Omnia confusis interiére notis.
Miremur periisse homines, monumenta fatiscunt;
Mors etiam saxi nominibusq; venit.*

D 3

Vid.

Vid. Ruland. de commiss. part. 2. lib. 6. c. 4. n. 13. Oeting. d. tr. lib. 2. c. 1. num. 10. ibiq; gloss. Facto hominis confunduntur & mutantur termini, utputa; ex aratione l. 4. §. 4. ff. fin. reg. C. l. A. 47. 21. 4. Tholosan. S. l. V. lib. 39. cap. 13. num. 11. vel alia superveniente confusione. Tholosan. d. l. directione alvei fluminis termini P. S. D. artic 14. C. l. A. d. l. arbitrio possessorum, item varietate successionum. l. 11 ff. fin. reg. l. 2. C. eod. arg. l. 3 §. ff. de R. l. l. 46. ff. de A. vel A. P. vid. supr. th. 11. in propriis enim agris fines pro lubitu mutari posse, doc. Montan. d. tr. c. 21. n. 2. deniq; vel ab ipso vicino vel ab alio. Manz. ad §. 20. l. de action. in rubr. fin. reg. act. n. 14.

XLII. Atque hæc sunt, quæ de amplissimo limitum argumento tradere animus fuit. Quod etiamsi copiosius pertractare potuissem; tamen & instituti nostri ratio & instans in patriam discessio, & aliæ insuper satis prægnantes causæ obstiterè, quò minùs id exequeretur. Tu interim B L. quæ pagellis hisce nostris continentur, æqui bonique consules; & si quid minùs exactiori lima discussum invenies; non tam ingenii imbecillitati, quàm materiæ subtilitati tribues.

DEO T. O. M. sit Laus,
Honor, & Gloria!



COROLLARIA
miscellanea.

I.

Princeps Antecessoris sui facta
præstare tenetur.

II.

II.

Etiam post mortem quempiam
judicari posse , dicere haud
absurdum.

III.

Qui vitiatam ignorans duxit ,
postmodum re compertâ ,
invitus in matrimonio ean-
dem retinere non cogitur.

IV.

Venditor, cui potestas tradendi
est, ad rei traditionem præci-
sè tenetur, neque offerendo,
quod emptoris interest, ob-
ligationi satisfacit.

V.

V.

Fœmina à feudi successione semel exclusa, in perpetuum exclusa non censetur.

VI.

Mulierem dotis nomine præferri, etiam expressam anteriorem hypothecam habenti, veriùs est.

VII.

Ignobilis à Nobili adoptatus, Nobilis non efficitur.

FINIS.

00 A 6345

ULB Halle 3
002 912 163




TA-FL

V. 17.

Rebo ✓







AAVJ.
2

L. B. V.
Disputatio Inauguralis Juridica
De
LIMITIBUS,
Bon
Gränzen / Marken &c.
Quam,
DIVINA FAVENTE GRATIA,
Jussu & Auctoritate
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, ET AMPLISSIMI
RECTORUM IN CELEBERRIMA ARGENTORA-
TENSIVM VNIVERSITATE ORDINIS,
PRO LICENTIA
Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia DOCTO-
RALIA ritè & legitimè capessendi,
Solenni Eruditorum Examine sistit
BARTHOLOMÆUS MAUSELIN,
Ravenspurgo-Suevus.
Ad diem 29. Mensis Novemb. Anno N. C. MDCCLXXVII.

ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI